DE JOANNIS JACOBI SCARFANTONIJ CANONICI PISTORIENSIS...

Alberto Maria Cecchi



DE JOANNIS JACOBI SCARFANTONIJ

CANONICI PISTORIENSIS


DISSERTATIONE

JUDICIUM

LELIJ HERCULIS PAULLINIJ

SAC. THEOL. PROFESSORIS.

Ad Amicum.





LUCÆ, MDCCXVII.

Typis Marescandoli. *Superiorum Permissu.*

DE JOANNIS JACOBI SCARFANTONII CANONICI PISTORIENSIS *DISSERTATIONE* JUDICIUM

Lelij Herculis Paullinij Sac. Theol. Professoris.

Ad Amicum.

SI quod semel, atque iterum tuis jucundissimis à me Literis postulasti de Joannis Jacobi Scarfantonii doctissimi Viri Dissertatione judicium tandiù referre ad te distuli, nolo ego aut grato parum plurimis in me pro beneficiis collatis animo, aut varijs etiam, crebrisque meis, quibus propè totus distringor studiis, id tribuendum existimes. Neque enim promerita, quibus me tibi arctissime devinxisti, cognovi unquam posse à me ulla oblivione præteriri, neque studiorum meorum rationem video, quamquam urgentissimam, diei noctisque tantum arripere, ut

 satis

ſatis mihi eſſe temporis non poſſit implendi, quæ tibi Viro præclariſſimo requirenti denegare non jure debeo. Quod ergo ſerius quam, & ipſe habuerim animo de Scarfantoniani Libelli nervis, momentiſque reſcribam ea in cauſa vox fuit, quæ apud hujus rei conſcios publico ſermone diffundebatur, quæque plurimorum comprobata fide ad me venerat eſſe peritiſſimos noſtræ Civitatis aliquos, qui per otium tam librandam Diſſertationem accepiſſent, ac ejuſdem prælo committendam brevi cenſuram pollicerentur. Hanc miſſurus ad te protinus ac publici juris fieret in diem expectabam, immò cupiebam etiam, cum, quòd imperio, votisque tuis doctiſſimi alicujus labore ſatius reſponſurum me, quam permodici ingenij mei officiis intelligebam, tum, quòd cura liberarer, mihi quidem moleſtiſſima, eo cum homine contendendi, quem propter ſanctiſſimos ejus mores, perſpectamque ſummam doctrinam certatim ego tecum obſervo. Sed fruſtra eſt expectatum: Nam Opuſculum unũ, quo doctè ſatis illa Diſſertatio laceſſebatur, prodiiſſe quidem audivi; Quoniam verò multo ſcateret felle, facetiiſque optimum Diſſertationis Auctorem acriter perſtringeret, eorum qui forte viderant prudentiſſimo conſilio ſuppreſſum eſt unà cum voce futuri ulterioris ad Diſſertationem reſponſi. Concidente autem penitus ea ſpe, cui ego tandiù nixus fidē

apud

apud te meam liberare posse arbitrabar, promissionis meæ mora in longius necesse est protraheretur, quum quod alterius peritioris ingenio elaboratum perfectumque jam deberet esse, id meo studio inchoari nunc oporteat, & per ejus intervalla temporis, quod, à gravioribus dimissus, habebo, reliquum consummari. Deesse itaque ne videar tibi, qui, et amicitia, & beneficiis, & dignitate apud me plurimum potes, meam de Placitis laudatæ Dissertationis sententiam, & quidem non timidè aperiam (dicere fidenter enim quæ mea, quæ recta esse sentio non vereor) parcè tamen, cautèque, ut simul ac obstantia rejecero, amplitudinis, & dignitatis Auctoris sui habita ratio esse intelligatur.

Antequam verò eum ad Articulum veniam, qui est proprius nostræ quæstionis, priori hoc loco, ut persæpè scripsisti, cupis tuo ex animo vellam scrupulum, tibique causam significem, ob quam puto ego, Reverendissimum Dissertationis Auctorem de ipsa, qua sibi pergendũ erat, via tam immodicè declinasse, ut toto sex paginarum decursu probet: *Episcopis fas non esse acquiescere simplici, sive generali assertioni Regularium, quòd ipsi fruantur privilegio, sive Apostolico indulto, sed eisdem Episcopis debere integraliter exhiberi; ad hoc ut contrà jam, quæ jure communi sancita sunt, possint operari.* Nonne, inquis tù, differendum sibi

tantummodo proposuerat, ut frons ipsa, sui Libelli testatur: *An cuncti Regulares fruantur privilegio, ut initiari possint extra tempora à Jure statuta ad Sacros Ordines?* Cur ergo à cõstituto scopo divertit, ac se se totum exercet, ut sævo lethalis criminis vinculo sacras Episcoporum omnium manus liget, nè possint quidquam juxta Regularium privilegiorum tenorem agere nisi Regulares ipsos palam sua ostendere privilegia coegerint?

Hæc tamen quæ adscita putas tù, & extraria ego non abs re credebam, sed jure inserta esse Libello: Quod ex Cisterciensium Ordine Monachum, qui ab Illustriss., & Reverendiss. Ecclesiæ Pistoriensis Episcopo promoveri ad Sacerdotium extra tempora postulabat; eidẽ præclarissimo Antistiti, ea de re petenti sibi privilegium ostendi, restitisse arbitrabar; sed postquam contigit, à viris probatissimis accepisse, laudatum Monachum alteri, à quo tandem est, ut rogabat, Sacerdotio extrà tempora initiatus, privilegium hujusmodi spontè, suaque voluntate non legendum modo, verum etiam lance accuratissima perpendendum obtulisse, in quam veneram, de subortò cum Antistite Pistoriensi dissidio, suspicionem deposui, quin aliud mihi, quod caussam prædictæ digressionis habere possim, occurrerit. Scio quosdam nefariè, ac maleficiosè ariolantes submurmurare, id eo fine adiectum

ctum ab auctore Dissertationis, ut qui consultatione sua Pistorij Monachum à Sacerdotio repulsum voluit, Illustriss. & Reverendiss. ejusdem Monachi promotorem, quod videret consilium non esse suum, sententiamque sequutum, violati Canonis labe resspergeret, et hoc non incallidę ultionis telo configeret. Sed absit hæc, quæ tam aliena, tam remota video esse ab ingenio, sanctisque moribus hominis honestissimi, atque inter præclariora urbis suę ornamenta, virtutum penè omnium collocati manibus, credam ego, cui mansuetudo ejus singularis, & lenitas perinde perspecta est, ac si meis hisce oculis illam contrectarem. Quare id, de quo nisi divinando dicere possumus, rogo desinas ulterius investigare, atque mecum potius convertas animum ad priorem ejus positionem expendendam; quà vult, Episcopis fas non esse acquiescere simplici, sive generali assertioni Regularium privilegio aliquo attestantium se frui, sed exigere ab eis debere, ut privilegium ipsum exhibeant. Neque hanc etiam nostræ discussionis ad librã volo ea ex parte vocemus, qua negat fidem Regularium assertionibus esse habendam. Id enim refellit satis, et improbat gravissima, et nulla unquam iniuria temporum lędenda Felini auctoritas, qui *Consil. 6. sub num. 3.* tanti habendum testimonium Religiosorum existimat, ut *illi refrugari hæreticum esse* dixerit,

 &

& putet *non carere scrupulo occultæ malignitatis*. Ergo hęc missa facio, & ad argumenta illa transeo, quibus probare nititur, Episcopis non licere privilegia Regularium admittere, nisi ostenderint.

Id, inquit, probat textus apertissimus in *l. unic. C. de mand. Princip.*, cui consonat *tex. in cap. cum in jure peritus. De Off. & potest. jud. deleg.* & melius *tex. in cap. Porrò de privil. ibique Gloss. in v. ex inspectione*, & luculenter in his terminis *Frances in Pastoral. regular. p. 2. q. 3. nu. 1. ad 13.*, & ferè per totam.

Sanè Frances luculentissimè dictam Quæst. 3. expendit, sed in his terminis loqui ne credas; Quandoquidem, aliud est Episcopos nõ teneri privilegia Regularium admittere quousque illa exhibuerint; aliud vero admittere illa non posse nisi post integram probationem. Primum est quod tradit Frances, & probant textus adducti, ac præsertim *Cap. cum in Jure peritus*, ibi, *nisi de mandato Sedis Apostolicę certus extiteris exequi non cogeris, quod mandatur*. Quæ verba ponderans *Abb. ibi nu. 4.* de communi DD. ait, quod si *ordinarius non curat certificari de mandato, potest exequi, quum non dicat textus non potest exequi, sed non cogitur*. Idipsum pariter firmat, & non aliud, ab eo relatum *pag. 15.* Sac. Cõgreg. Concilij Decretum a S. Mem. Innoc. XI. *Alias Innoc. X. ut rectè Frances l. c. prodiit*

diit enim an. 1648. non 1678., *vid. Tondut. de prævent. par. 3. cap. 3. nu. 3. Passerin. de Stat. tom. 2. qu. 187. art. 1. nu. 163. Bullar. tom. 5. pag.* 498. confirmatum, ubi dicitur: *Ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem habere absque integrali privilegiorum exhibitione.* Verùm, quod Episcopi tuta conscientia non possint juxta Regularium Indulta operari, nisi plenam eorundem privilegiorum probationẽ exegerint, quod est assertum D. Scarfantonij, neque allegata Jura probant, (nisi forsitan in casu, quod privilegij vel rescripti certam habere notitiam alia via non possint, quo sensu loqui videntur Imperatores in *d. l.* 1. *C. de mand. Princ.*, ibi: *si quis asserat cum mandatis nostris secretis se venisse*, & Pontifices in *d. cap. cum in jure peritus*, & cit. *cap. Porrò de privil.*, *et cap. cum personę eod. tit. in 6.*) neque laudatus Frances uno etiam verbo indicavit, immò non poterat vir doctissimus indicare; Nam si Episcopis privatim, & aliunde privilegiorum quantumvis Jure comuni contrariorum, sit scientia, illorum, & posse usum permittere, & juxta illa operari non est ambigendum. Cujus inconcussa ratio est: quia notitia sufficiens ipsi privilegiato, ut licitè possit uti suo privilegio, eadem per se sufficit aliis, ne illius usum impediant, ut docet *Castropal. trac. 3. disp. 4. princ. 3. §. 2. nu.* 1. Ut vero quilibet privilegio suo licitè possit uti,

satis

satis est, vel quod ipse sciat privilegium habere *Abbas in Clement. Dudum prop. fin. de sepult. Felin. cons.6. nu.3. & 4. Gonzal. in cap. Porrò v. inspectione de privil.*; Vel quod privilegium viderit signatum alicujus Prælati manu, vel Notarij, aut Generalis Ordinis sigillo munitum, ut ex indulto Leonis X., & Julii II. docent *Jo. della Crux lib: 2. cap. 1. Dub. 2, concl. 3. Navar. consil. 1. de privil. Bordon. tom. 2. resol. 52. num. 52. Portell. de dub. regul. v. privilegium nu. 3. Anton. a Sp. Sanc. trac. 1. Direct. Regul. disp. 1. sect. 1. n. 3.*, Vel tandem quod privilegium typis excusum legerit sive in simplici papyro, sive insertum Bullario aliquo, aut probati alicujus auctoris libro, ut fusè probat *Bordon. loc. cit.*, et decisum per *Rot. in Statel. de Salu. interdic. decis. 103. nu. 10.* testatur *Naldus v. privilegium nu. 6.* Quocunque igitur ex his modis certior factus Episcopus de privilegiis Regularium, potest illorum usum tuta conscientia permittere, & juxta illorum tenorem licitè operari quin ad ea exhibenda Regulares cogere teneatur. Etenim in foro conscientiæ, in quo non agitur de probanda gratia, rei tantum veritas attenditur *Cap. Inquisitioni de Sent. Excom.*, nō positivi juris rigor. *Innoc. in cap. plerique. de immun. Eccles. et in cap. Quia propter de Elec.* Felin. *d. cons. 6. nu. 3.*

Ex quibus, cognoscere te non dubito exagge-

gera-

gerationis plurimum habere quod scripsit *pag.* 15. , nempe asserta generatim a se de privilegiis ab Episcopis non admittendis , nullam continere difficultatem , quum non modo difficultatem , verum etiam liquido falsitatis in nucleo vermem continere aperuerim .

Mox reliquum est videamus , an ipsius idē assertum reddatur , ut subiungit , in qua versamur Hypotesi , manifestum ob geminatas resolutiones Sacræ Congreg. Concilii . Proposito enim dubio in Senen. 2. Maij 1669. *An Regulares cuncti indistinctè foveant privilegium aliquod , ut promoveri possint ad sacros Ordines extra tempora à Jure statuta diebus festivis per Annum* ? Sac. Congr. respondit. *Dilata. Et interim Archiepiscopus abstineat, donec exhibeantur sufficientia privilegia*. Et in Assisien. 23. Ianuarij 1706. propositis dubiis , primo : *An Episcopus potuerit Ordines extra tempora regularibus conferre ? Et quatenus negativè . Secundò : An , & in quas pęnas Ordinati inciderint* . Eadem Sac. Congreg. respondit : *Dilata . Et scribatur Episcopo , quod se abstineat, donec exhibeantur privilegia Regularium* . Ergo Episcopis interdicta est Ordinum sacrorum collatio Regularibus extra tempora , nisi ea de re sufficiens privilegium exhibeant : sunt enim decreta hæc concepta verbis imperativis , & præceptum importantibus nempè *abstineat* .

Veruntamen hæc nullatenus obstare cognosces

sces primum, si observes, bifariam posse intelligi Verbum aliquod esse imperativum. Primo, si ex vi suę, ac nativæ significationis præceptum enunciet, ut sunt verba *Precipio*, *Impero*, *Jubeo &c.* Secundo, illud imperativum appellatur, quod significatione sua præceptū licet non enunciet, sed indiscriminatim jungi possit et cum præcepto, & cum consilio, attamen imperativè profertur, ut *facite*, *solvite*, *abstineant*. Imperativa primi generis involvere præceptum pene omnes DD. consentiunt; sed quum verbum *abstineo* hujus non sit generis, colligere non licet, Decretum, quod illo constat, esse verbis imperativis conceptum in eo sensu, quod preceptum importent; sed solum verbis indifferentibus imperative prolatis. Hujusmodi autem verba quantumvis imperativè, dummodo absolutè proferantur, præceptum non involvere docent *Alfons de Castro lib.* 1. *de potest. leg. pænal. cap.* 5. *docum.* 4. *Summa Corona par.* 1. *cap.* 1. *nu.* 33. *concl.* 4. *Michael Salon tom.* 2. *Quest.* 77. *art.* 1. *Contr.* 8. *Caiet.* 2.2. *quæst.* 166. *art.* 9. *ad* 1., *Carbon. de legib. lib.* 7. *disp.* 4. *ad fin. Navar. in sum. cap.* 23. *a nu.* 48. *Emman. Sa v. lex num.* 6. & hanc esse comunem sententiam cōtra *Panorm. in Cap. vestra not.* 2. *de cohab. Cleric. & Mul.*, testatur *Sairus lib.* 3. *Cla. Reg. cap.* 7. *nu.* 26. Quum ergo in præsentia verbum *abstineat* insertum sit absolutè decreto, præceptum sub

mor-

mortali ſaltem obligans importare negandum eſt.

Hujus doctrinæ fundamentum auget conſideratio, quod reſcriptum illud eſt datum Epiſcopis, quibus ob eximiam dignitatem, non ita facile judicandum eſt, Sacram Congregationem præcepta mittere. Epiſcopi enim Apoſtolorum ſucceſſores pari quodam conſortio cum D. Petro, ac ejus ſucceſſoribus honorem, & poteſtatem acceperunt, *Can. in novo* 21. *Diſt.* Ideoque Summus ipſe Romanus Pontifex, eis reſcribens, appellat Fratres, quaſi æquales, ut adnotavit *Barboſa de Off. et poteſt. Epiſc. par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. *Gonzal. in cap. ex parte de Off. & poteſt. Jud. deleg. nu.* 2. *& fuſius in cap. quam gravi de crim. fal.* Quæ proximè dictis addita efficiunt, ut ſaltem in dubio ſimus, an hoc loco verbum *abſtineat* præceptum involvat, nec ne; In caſu autem dubio, num verba præceptum, vel conſilium importent, reputanda ſunt exhortationem duntaxat includere, ut docent *Caſtro lib.* 1. *de leg. pænal. cap.* 5. *doc.* 4. *Sanchez lib.* 6. *Decal. cap.* 4. *nu.* 27. *&* 66. *Caſtropal. tract.* 1. *diſp.* 3. *pun.* 7. quia ſemper in dubio, et in pænis benignior facienda eſt interpretatio *l. interpretatione, & l. ſi præſens ff. de pænis cap. in pæna de Reg. Juris in* 6.

Deinde, licet adducta ſac. Cong. decreta præceptum includere permitteremus, ejus tamen

men

men præcepti vinculum ad omnes alios Episcopos universim se se porrigere, Reverendissimo Dissertationis Auctori fidenter nego Immò nescire me fateor (quod tamen in tenuitatem ingenii mei volo referas) qua ratione fretus dicere potuerit, hujusmodi Sac. Cong. *Resolutiones emanasse pro decisione Articuli in abstracto*. Etenim peto ego, quinam fuerat articulus Sac.Congregationi propositus? Nonne in d. Senen. An Regulares cuncti fruantur indistinctè privilegio aliquo, ut promoveri possint ad Sacros Ordines extra tempora à jure statuta? Nonnè pariter in Assisiens. An Episcopus potuerit Ordines extra tempora Regularibus conferre &c. At Sac.Congreg. quid his respondit? *Dilata*. Vereor ne rectè satis de hoc verbo dilata sentiam. Dic tu quæso, quum Sac. Cong. ità rescribit, quid illa enunciat aliud, nisi se propositi articuli decisionem distulisse, & adhuc velle in suspenso? Alterā quoque decreti partem prodiisse quis dicet pro articuli decisione, quum in ea nihil de prædictorum privilegiorum existentia, vel nō existentia respondeat, sed solummodo rescribendum Archiepiscopo Senen., et Assisien. Episcopo, ut interim abstineant, donec exhibeantur privilegia? Neutra ergo decreti pars emanavit pro decisione articuli; sed prima declaravit Sac. Congregatio resolutionem articuli distulisse; secunda verò, eis, qui de

præ-

prædictorum privilegiorum existentia, ut est in quæsito, & tradit Monacell. *part.* 1. *Tit.* 13. *pag.* 120. *nu.* 37. ambigebant, rescribit; à collatione sacrorum ordinum extra tempora abstineant, quasi admonens eos juris naturalis, quo tenetur quilibet in dubio, contra jus commune non operari *Cap. Juvenis de Sponsal. & Matrim. Can. sicut.* 14. *Dist.* Atque hanc esse mentem Sac. Congreg. ejusdem responsi verba demonstrant, quibus absolutè non dicitur *abstineat, sed interim donec exhibeantur privilegia*, quorum scilicet discussione dubitatio deponatur. Quam ob rem si quod est in laudatis responsis præceptum, illud non extendi constat, nisi ad eos, qui de prædictis privilegiis dubitant; Ubi enim ratio et finis legis nō militat, nec legis dispositio militare debet *l.* 33. *ff. de pactis. l. fin. ff. de hæred. instit.*, *Navarr. cons.* 23. *nu.* 5. *de sent. Excom.*, *Donat. prax. Regul. tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 4. *quæst.* 39. *n.* 11. *Zacch. de Salar. quęst.* 6. *nu.* 17. *Monacell. tom.* 2. *pag.* 226. *nu.* 12.

Neque hinc inferas volo, Episcopos illos, qui hoc in dubio versantur, teneri cogere Regulares ad sua privilegia exhibenda: Nam ut superius dictum est, sufficit, ut quocunque alio modo Episcopus de privilegio certioretur, & dubitationem excutiat. Sac. enim Cong. non aliud velle videtur, quam hæsitatione illa, sive dubio perseverante, à Sacrorū Ordinum

colla-

collatione abſtineant, quæ cum ſit ratio prohibitionis attendenda eſt potius, quam verba *l. cum pater §. dulciſſimis ff. de legat. 2. l. ſcire §. aliud ff. de excuſat. tutor.*, *Marian. Soccin. conſil. 35. colum. 2. ver. & quamvis lib.* 1. quem refert *Tuſc. litt. R. concl. 31. num. 16. Menoch. conſil. 998. nu.* 13. quia dictum per rationem explicatur, & limitatur *l. unum ex familia §. fin. ff. de legat. 2. l. ſi is qui animo ff. de acquir. poſſ. Jaſon. in l. id quod num. 7. ff. de legat.* 1. *Surd. conſ. 67. n. 20. Rot. dec. 10. n. 2. apud Farinac. par. 1. recent.*

Quinimmò abs re dictum non cenſerem, laudata decreta vim præceptivam, ſi quam continent, non extendiſſe, niſi tantum ad duos illos Antiſtites, quibus miſſa fuerunt; Ut enim decretum pro uno caſu determinando emanatum omnes alios, qui ſub eadem ratione continentur, comprehendat, debet eſſe verbis generalibus conceptum, ut innuit *Rot. in Romana penſion. cor. Emin. Priolo, poſt Monacell. tom. 2. dec. 30. num. 5. ver. talis autem.* Quia ſi non generalibus, ſed particularibus verbis conceptum fuerit, habet rationem legis privatæ, quæ particularibus tantum perſonis indicitur, quæque ob rationis identitatem ad alios, præterquam ad eos, quibus ſtatuta eſt, non extenditur, ut ex *Can. hinc eſt. 39. ver. quod privilegium* 17. *q.* 1. *& Can. non exemplo 26. q. 2.* docet *Gonzal. in cap. 9. de*

privil.

privil. nu. 6. et Salas, Suarez, Bonac. aliisque citatis, *Castropal. tract. 3. disp. 3. punc. 13. nu. 1.* Quum ergo, de quibus loquimur, decreta, non generalibus verbis, sed particularibus concepta sint, nempè *scribatur Episcopo, quòd abstineat*, non incongruè deduci potest, ea vim habuisse ligandi solum prænominatos duos Præsules, et non alios.

Quæ, ut uberius explicem, & obiectionem hinc subnascentem præfocem, & elidam, animadverto, aliud esse loqui de præcepto juris naturalis, quo prohibemur in dubio aliquid contra jus commune operari; aliud vero loqui de præcepto humano, quo Sacra Cong. Senensi Archiep. et Assisiensi Præsuli jussit ab Ordinum collatione, pręfato stante dubio, abstinere. Primo obligantur quidem omnes, eoque universim ante prædictorum etiam decretorum emanationem, Ordines in dubio nõ conferre contra communis juris dispositionem obligabantur; Secundo autem, dato, quod prædictis responsis insit, non nisi prædictos duos Præsules ligari censeo, rationis identitate non obstante, ut probatum relinquo.

Nec obest doctrina *D. Fagnan. in cap. Quoniam num. 66. de constit.*, quam pro se refert Auctor dissert. *pag.* 18. loquitur enim ibi Fagn. de Sac. Congregationis Concilij decretis prò declaratione, & interpretatione Sac. Concil. Trident. emanatis, quæ, quum aliquid diver-

 sum

ſum non ſint ab eodem Concilio, ſed velut ejuſdem Concilii nucleus, ut eleganter, & nervoſe probat *num.* 13. *& ſeqq.*, non eſt mirum ſi tam latè ſuam obligandi vim pretendunt, quam ipſum Concilium, tametſi fuerint ad conſultationem edita Epiſcoporum in aliquo ſpeciali caſu. Et hoc idem eſt quod affirmat Rot. *in d. Romana penſion.*, quæ ut generale oſtendat decretum, de quo ibi eſt ſermo, eam reddit rationem, quod Sac. Congreg. illud pronunciarit explicando ſenſum conciliaris diſpoſitionis in *Cap.* 13. *Seſſ.* 24. *de Reform.*; Diſparem autem valde rationem eſſe in noſtro caſu eſt manifeſtum; Nam decreta, de quibus loquimur, ab articuli deciſione penitus quum abſtineant, nullam concilii declarationem continent, ſed reſponſum verbis particularibus conceptum, ad quod mittendum Senenſi primum, & Aſſiſien. deinde Antiſtiti mota eſt Sacra Congreg., ut dubitantibus de prædicto privilegio inculcaret obſervantiam naturalis præcepti, quo cavetur, in dubio non eſſe contra jus commune operandũ; cujus generis reſcripta vim univerſalis legis non habere, cum *Suarez.* 3. *de legib. cap.* 15. aliiſque docet *Caſtropal. tract.* 3. *de legib. Diſp.* 1. *punc.* 8. *nu.* 6.

His, quum D. Diſſertationis Auctorem à via motæ controverſiæ procul diſcurrentem ſatis hucuſque ſimus perſequuti, eidem ad ſuæ

argu-

argumentum Quæstionis redeunti necesse est occurramus. Primum itaque illa oppugnat privilegia, quæ pro Sacris Ordinibus extra tempora suscipiendis Summi Pontifices quibusdam Regularibus indulserunt, nèmpe Cassinensibus Eugenius IIII. et FF. S. Hieronymi Alexand. IIII., ut refertur in *Compend. privileg. mendic. tit. Ordines Sacri* §. 8. & §. *fin.* Hæc ergo penitus, vult concidisse, utpotè per Sac. Concil. Trident. abrogata *Seß.* 23. *Cap.* 8. *de Reform.* illis verbis: *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus publicè celebrentur*; ut communiter, inquit, docent Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 7. *num.* 6., & *collect. ad Concil. cap.* 8. *sess.* 23. *nu.* 5. *Miranda in Manual. Prælat. tomis quæst.* 38. *art.* 4. *Ricc. dec.* 93. *nu.* 6. *par.* 4. *Ventrig. in prax. annot.* 44. §. *unic. nu.* 12. *p.* 1. *Matthæucc. in Offi- cial. Cur. Regul. tom.* 2. *Cap.* 13. *nu.* 3.

Ego vero affirmare quamquam non audeo, eam communem esse sententiam, quæ adducta Concilii verba negat, Eugenij, & Alexandri privilegia confixisse, attamen, & ob Doctorum longe majorem in ea conspirantium numerum, & ob rationum, quibus firmatur, momentum dico veriorem adjudicandam. Eidē namque adhærent *Eman. Roderic. tom.* 3. *quæst.* 23. *art.* 5. *Monet. de commut. ultim. volunt. Cap.* 10. *nu.* 148. Homobon. *de examin. Eccles. tract.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 13. *Portell. de dub. Regul. v.*

Ordines Sacri nu. 4. Novarius in Luces Regul. v. Ordines nu. 10. Donatus in prax. de Regul. promov. ad Ord. trac. 3. quæst. 26. Diana part. 3. tract. 2. de dub. Regul. resol. 31. Joann. de la Crux lib. 2. cap. 3. dub. 6. Hieron. Roderic. in compend. quæst. 106. nu. 7. Passerinus de stat. tom. 3. quæst. 189. Villalobos trac. 3. de Ord. diffic. 12. in fin. & diffic. 13. num. 6. Castropal. trac. 27. Disp. unic. punc. 13. nu. 13. Sannig. de temp. ordinat. cap. 5. nu. 2. Basseus tom. 1. floru Theolog. v. Ordo 4. nu. 5. Marchin. de Sacram. ord. par. 1. cap. 7. nu. 1. Herinex par. 4. sum. Theol. disp. 10. de sacram. ord. nu. 8. Pax-Jordan. lib. 3. tit. 6. de sacram. ord. n. 418. & 428.

Ratio verò, cui sententia hæc innititur, est; quia Sacra Trident. Synodus verbis supra relatis generaliter loquitur, nullam adiiciens clausulam privilegiorum derogatoriam, nec in genere, nec in specie, ut est legentibus in aperto; Lex autem generaliter loquens nō abrogat privilegium ea super re jam concessum, de qua lex generaliter disponit, ut docent *Bartol. sup. const. ad reprimendum §. Legibus nu. 11. Jason in l. 1. nu. 9. ff. solut. matr., Decius in Reg. in toto Jure nu. 8. ff. de reg. jur. Felin. in cap. 1. nu. 10. de rescrip. Oldrad. consil. 266. Mellis in Rep. ver. privilegium insertum Anton. Gabr. de legib. concl. 1. nu. 3. Mandos. reg. 4. Cancell. quest. 7. nu. 5. Anast. Germon. de indult. Cardin. §. per quem sublatis nu. 69. & 73. Barbos.*

bos. in l. 1. ff. solut. matrim. par. 1. nu. 5. Archidiac. in Can. renovantes num. 6. 22. dist. Card. cons. 16. in fin. Gloss. in Cap. 1. & Cap. nonnulli de rescrip. & in l. 3. C. de Silentiar. et decurion. Castropal. tract. 3. disp. 4. punc. 21. §. 4. n. 10. Salas. disp. 17. Sect. 14. nu. 47. Bonacc. disp. 1. quæst. 3. punc. 8. §. 3. num. 15. Basilius lib. 8. Cap. 19. Suarez. de relig. lib. 8. cap. 39. nu. 2. Martinez lib. 5. recompil. tit. 11. l. 8. gloss. 12. nu. 6. & 7. Ideoque indultum quo fruuntur PP. Congregat. Oratorii Neapolis, & Urbis, ut promoveri possint ad quoscumque Ordines ab Episcopis, in quorum diæcesi habent domicilium absque dimissoriis litteris Episcopi originis non fuisse abrogatum per constitutionem S. M. Innoc. XII. *Speculatores* 1694. observat *Monacell. tom. 2. tit. 13. n. 41. pag. 121.* Quia lex generalis, inquit, comprehendere numquam censetur casum privilegiatum per *tex. in cap. cum ordinem; & Cap. Abbatem 40. ubi Gloss. v. per litteras. de rescriptis. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 9. §. 2. nu. 6. Rot. corā Peutinger decis. 354. nu. 10.*

Idipsum in terminis Concilii Tridentini prædicta verborum generalitate loquentis docent *Nicol. Garzias de Benef. part. 3. cap. 2. nu. 259. Anast. Germon. loc. sup. cit. Eman. Roder. tom. 1. qq. regul. quæst. 8. art. 6. Suar. lib. 8. de legib. cap. 18. nu. 17. Martinez. de Prado de privil. cap. 5. quæst. 5. n. 28. Portell. v. pri-*

 vileg.

vileg. confirm. nu. 31. *Hieron. Roderic. resol.* 116. *nu.* 14. *Joan. de la Crux lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. *concl.* 1. §. *in prædictis. Lezzan. tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 18., & *tom.* 3. *ver. Clausula. Hieron. Garzias in Polit. Reg. tract.* 8. *difficul.* 1. *dub.* 5. *nu.* 5. & probant I. quia ubi Concilium vult privilegijs derogare, id exprimit saltem in genere, ut in plerisque decretis videre est, præsertim *cap.* 11. *Sess.* 24. quapropter ubi nullam derogatoriam apponit censetur derogare noluisse *arg. l. unic.* §. *ubi autem legatarij in fin. C. de caduc. tollend.* II. quia hac de re Sac. Cong. requisita respondit, Concilium non derogare privilegiis Apostolicis, nisi de his faciat expressam mentionem, ut referunt Germon. *ubi sup.* et Nicol. Garzias *loc. cit. nu.* 260. III. quia eadem Sac. Cong. referente Garz. ibidem, interrogata: *Num indultum Leonis X. tribuens Præposito, & Canonicis S. Mariæ della Scala vacationem duorum mensium contra fundationem Ecclesiæ intelligatur sublatum per dispositionem Concilii Cap.* 12. *Sess.* 26., *ubi vult salvas esse constitutiones Ecclesiarum, quæ longius servitii tempus requirunt*: Die 22. Decemb. 1585. Respondit, *per hoc decretum non esse derogatū privilegiis Apostolicis, cum expresse non deroget indultis*. IV. quia Sac. Concil. Congreg. specificè interpellata, *nùm d. decreto cap.* 8. *Sess.* 23. *de reform. sublatum fuerit privilegium suscipiendi ordines extra tempora*; Respondit

his

his verbis à *Roderic. tom. 2. Bull. pag. mihi* 505. relatis: *Sac. Concilii Congr. censuit, privilegium suscipiendi Ordines extra tempora per hoc decretum non fuisse sublatum.*

Quamobrem neque P. Miranda, neque Barbosa, & cæteri, quos pro sua refert sententia D. Adversarius, ac præsertim primus illius opinionis auctor Miranda existimaverunt Cõcilium hujusmodi privilegium abrogasse *dict. cap.* 8. *Sess.* 23. decreto, sed altero, nempe *Cap.* 22. *de Regul. Sess.* 25. ut videre licet apud laudatum *Mirand. d. quæst.* 38. *art.* 4. Præcipit enim ibi Sancta Synodus omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari in omnibus Monasteriis, non obstantibus privilegiis, ac Mari magno &c. quum ergo, inquiunt, in superioribus Concilij decretis contineatur, Ordinationes Sacrorum Ordinum fieri debere statutis à jure temporibus, id observari jubet Concilium etiam à Regularibus, non obstantibus eorum privilegiis;

Verumtamen neque huius argumenti spiculis Eugenianum, Alexandrinumque privilegium adhuc sauciatum, aut læsum video; Nã in d. Concilii *Cap.* 22. sermonem non esse de his, quæ fuerunt disposita in quibuscumque decretis aliarum omnium superiorum sessionum, sed tantummodo de contentis in decretis superioribus ejusdem *Session.* 25. *de Regul. et Monial.* rectè docent *Eman. Roder. d. tom.* 1.

 quæst.

quæst. 8. *Passerin. cit. quæst.* 189. *num.* 831., *Martinez de Prado loc. cit. nu.* 28. *in fin.*, *Nicol. Garzias d. cap.* 2. *num.* 277., *Navarrus in Manual.* cap. 27. *num.* 190., & *consil.* 7. *de privil. nu.* 19. *Cochier. par.* 2. *quæst.* 54. *num.* 9. Quod probatur et colligitur I., quia non præcipit Sancta Synodus observari omnia, & singula, quę in superioribus sessionibus, sed quæ in superioribus decretis continentur, ut accuratè ponderat *Roderic. loc. proximè cit.*, & post eum *Garz.*, *Martin. de Prad.*, *Passerin. ubi sup.* II. quia si Trident. omnia Regularium privilegia, etiam illa, quibus expresse nō derogavit, generali hoc decreto configere voluisset, in postremo decretorum omnium loco constituisset, quod tamen S. Synodus non fecit, ut bene observat *Castropal. loc. proximè citato* §. *neque verum* III. Quia nisi consentiant, loqutum fuisse Concilium de his, quæ comprehenduntur in decretis solius Sessionis 25. de Regul., durissimam illis obijcio vorandam absurditatem. Etenim Sacrum Concilium *Cap.* 20. *Sess.* 25. omnia Regularium privilegia concernentia ea, de quibus tunc usque disposuerat, & quibus eo usque non derogaverat, his disertissimis verbis confirmat: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, et jura concernunt, firma sint, & illæsa.* Atqui privilegium suscipiendi Ordines extra tem-

pora

pora ea concernit, quæ ſancita fuerant à Concilio ante *cap.* 20. *Seſſ.* 25. de hac enim re diſpoſuerat ſupra *d. cap.* 8. *Seſſ.* 23. Ergo, quum hoc privilegium nec in genere, nec in ſpecie ante *d. cap.* 20. *Seſſ.* 25. abrogaverit, illud ibidem confirmavit, et voluit firmum eſſe ac illæſum. Ex quibus duplex Adverſariis paratur inextricabilis laqueus, in quorum alterutrum incidant neceſſe eſt; unus, quo, vel cogantur concedere dictum privilegium non fuiſſe revocatum in *Cap.* 22. *Seſſ.* 25. *de Regul.*, vel ſi hoc velint effugere, alio dicere compellantur, parum ſibi conſtitiſſe Concilium, illud abrogando privilegium, quod paullo ante confirmaverat, à quo quidem dicto, & majeſtas Sacri Concilii abhorret, & ratio; nam juris correctio penitus eſt vitanda *cap. cum expediat* 26. *cap. cupientes* 16. *et ibi Gloſſ.* §. *quod ſi per viginti in verb. petere. Cap. conſtitutio* 41. *de elect. in* 6. *et l. unic. C. de inoffencioſ. dotib. Fagnan. in cap. cum dilectus nu.* 5. *de ſucc. ab inteſt.*, *Gemin. conſ.* 88.

Hæc fortè intelligens Reverendus Auctor diſſertationis, prædictum Alexandri, & Eugenii privilegium, licet à Concilio dixerit revocatum, hac de re tamen congredi, ac diſputare *pag.* 25. *&* 26. recuſans convolat ad SS. Pii IIII. conſtitutioné *die* 24. *Februarij* 1561. emanatam, qua, quum expreſsè abrogentur omnia Regularium privilegia, *in his omnibus*

&

& singulis in quibus illa statutis , & decretis Concilii Tridentini contrariantur, infert, prædictum privilegium, si non Concilio, Piana tamen cõstitutione fuisse revocatum : hæc enim pro revocatione privilegiorum aliud non exposcit, nisi quod Concilii decretis sint contraria.

Sed postremum hoc Adversariorum refugiũ congesti supra DD. multis præcludunt. Sacra enim Congregatio, referentibus *Germonio loc. cit. num. 69. Garz. ubi sup. num.* 261. censuit, *prædict. Pii IV. constitutionem non extendi ultra ea, quæ in Concilio continentur*. Præterea privilegia, quæ à Concilio non sunt revocata, eidem Tridentino non adversantur; Tum quia, ut argumentatur *Germon. d. n.69.*, ubi Concilium privilegiis non derogat, de privilegiis non vult disponere, ac per consequens illis non opponitur; Tum etiam quia, privilegia, quæ vult Concilium firma esse, & illęsa, non sunt Concilio contraria; sed privilegia, quæ Concilium non revocavit, vult firma esse, & illęsa *Cap.* 20. *Sess.* 25. ergo privilegia, quæ Concilium non revocavit non sunt Concilio contraria, et perinde nomine privilegiorum decretis Concilii Tridentini contrariorum illa solum veniunt, quæ ab eodem Sac. Concilio sunt revocata.

Quibus adijcio prædictam Pij IV. constitutionem alio in capite privilegio, de quo loqui-

quimur, non nocere; illa enim disertè abrogat privilegia, quæ decretis Tridentini contrariantur; Qua de re, quum à propria verborum significatione recedendum non sit *l. non aliter ff. de legat.* 3. *l.* 1. §. *licet ff. de exercitor. action. Cap. penul. de sent. excom.* illa derogari solum censendum est privilegiis contra, non præter jus commune Tridentini, quale, nisi fallor, est indultum suscipiendi ordines extra tempora. Non enim est mera quædam dispensatio solvens Regulares à lege suscipiendi ordines temporibus à jure statutis, sed facultas potius, atque potestas ipsismet Episcopis à Sancta Sede impertita Sacris Ordinibus initiandi extra tempora Regulares, quoties ab eorum Superioribus legittima causa motis ad eos mittuntur, ut ex tenore præcitati Eugen. & Alexand. privilegij colligitur, & expressè docet Gregor. XIII. in Bull. *Pium, & utile.* relat. *in compend. privil. Societ. Jesu . v. Ordo* §. 3. ibi *Nos enim illis Ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus*. Quamvis enim dispensatio ipsa juris communis sit contra jus, quia illud semper vulnerat Silvest. *v. dispensatio nu.* 1. facultas tamen, & potestas concessa ad actum, alias communi jure interdictũ, non est contra, sed præter jus, ut docet laudato *Consil.* 6. *nu.* 5. & 6. *Felin. Sanchez de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 2. *nu.* 1. *Castropal. Trac.*

3.

3. *Disp.* 4. *punc.* 11. *nu.* 3., *Bonaccin. de legib. Disp.* 2. *q.* 3. *punc.* 7. §. 2. *nu.* 14. alijque multis id rationibus demonstrantes.

Primo quidem, nam poteſtas, ſive facultas diſpenſandi, ſi moderatè, ac prudenter exerceatur, maximè conducit ad bonum commune, quod eſt finis omnium legum, ut docet *S. Tho.* 1. 2. *Quæſt.* 90. *art.* 4., ergo prædicta facultas non eſt contraria legibus, et juri communi.

Secundo, quia Pontifex, hujuſmodi facultatem concedens, non intendit principaliter vulnerare jus commune, licet id veniat in conſequentiam, ſed favore, ac beneficio quodã afficere perſonas, quibus eam facultatem largitur, vel bono communi ſpecialiter providere; Principale autem intentum, & propoſitum eſt ſemper inſpiciendum *l. rogasti in princip.*, *l. ſi quis ff. ſi certum petat*, & *l. ſi quid donationis cauſa. ff. de contrahen. empt.* Neque his officit poteſtatem imitari debere naturam actus propter quem ipſa datur, ut tradit *Bartol. in l. conſtitutionibus num.* 1. *ff. ad municipal.* quia id procedit quando effectus odioſus eſt principaliter intentus; non vero quando principaliter intenditur collatio favoris, & beneficij in utilitatem, & commodum communis boni recidentis. Immò ex hac ratione poſſet etiam inferri, quod facultas, ſive poteſtas quę in ipſo Principe reperitur quandoque relaxandi

xandi jus commune, odiosa sit, et eidem cõmuni juri contraria, quod nemo dicere potest, quum à jure ipso Princeps habeat dispensandi leges facultatem.

Tertio quia privilegium contra jus commune concessum odiosum est, & strictè interpretandum *l. quod contra ff. de legib. l. quæ contra. ff. de R. I. Barbosa in l. quia tale à num. 22. ff. solut. matr., Suarez 8. de leg. cap. 27. & 11. Salas Disp. 17. de leg. Sect. 6.* & DD. communiter; Privilegium autem consistens in facultate non est odiosum, sed merum principis beneficium, et latè interpretandum *Gloss. in cap. hi qui. v. in potestate in fin. 15. q. 8. & in cap. Dudum. v. beneficia de preben. in 6. Federic. cons. 163., Oldrad. cons. 151. Calder. cons. 1. de consanguin., Bartol. l. 2. in princ. n. 2. ff. de verb. oblig., & ibi Bald., Imol. nu. 2., Bartolom. Soccin. nu. 14. Alciat. nu. 48. Alexand. nu. 6., Paulus nu. 4., Angel. num. 2. Jo. Andr. cap. fin. nu. 3. de Simon*, & ibi *Panorm. nu. 3. & 5., Cardin. in princ. opposit. Anan. num. 8., Felin. concl. 4. & in cap. postulasti nu. 11. limit. 4. de rescrip., Covarrv. in 4. Decret. par. 2. cap. 8. §. 8. n. 6. vers. 8. & nu. 11. Guttier. Quæstionum canonic. lib. 2. cap. 15. nu. 125.*, atque innumeri alii.

Quibus omnibus quum appareat, neque dicti *cap. 8. Sess. 23.* generali dispositione, neque alterius citati *cap. 22. Sess. 25. de Regul.*,

revo-

revocatorio indultorum decreto , neque demum Pii IV. memorata constitutione prædictum Eugenij, & Alexandri privilegium fuisse læsum, atque sublatum, frui adhuc Regulares de Apostolica dignatione impertita sibi facultate suscipiendi Ordines extra tempora, quin ad alias opus sit rationes, & argumenta venire abunde satis demonstratum videtur. Sed quoniam Auctor Dissertationis hujuscemodi privilegij speciatim concessi à Gregor. XIII. in d. Bull. *Pium & utile* Societati Jesu meminit, illudque ad cæteros Regulares , ac præsertim Crucigeros, & Cistercienses, quibus postmodum facta est Societatis Jesu, & cujusvis alterius Religionis privilegiorum communicatio negat extendi , unam vel alteram adhuc mihi paginam arripio, ut reliqua tandem suæ Dissertationis obiecta retegam , & convellam.

Et quidem indultum, de quo loquimur, à Gregorio XIII. Societati Jesu concessum, aliis quibusdam Ordinibus vi postea comunicationis non competere absque ullo valido fundamento dicitur. Summus enim Pontifex Gregor. XIIII. *anno* 1591. apud *Roderic. tom.* 1. *Quæst.* 55. *art.* 11. privilegia Societ. Iesu nominatim communicavit Crucigeris; Cur ergo illis omnibus frui ac potiri nos negabimus? Ob notata, inquit, *pag.* 31. *ex Reverendiss. Petra ad constit.* 4. *Anastasij*, ubi asserit Papā,

com-

communicando privilegia unius Ord. Regul. alteri, numquam ea communicare, quæ alias ſublata fuerant, & alicui ex prædictis ordinibus propter aliquam ſpecialem rationem conceſſa, niſi id exprimat. At hæc, licet vera eſſent, ad rem tamen noſtram non veniunt. I. quia, ut ſuprà fusè oſtenſum eſt, privilegium, de quo agimus, nec Trident. decretis, nec aliqua Summ. Pontificis conſtitutione unquam ſublatum fuit II. Quia Gregor XIIII. in Bull. d. communicationis expreſsè docet, Crucigeris non modo velle communicata Mendicantium, & non Mendicantium ordinum privilegia, ſed ſignanter etiam, & nominatim Societatis Jeſu, quod niſi referatur ad illa, quæ ſunt d. Societati ſpecialiter conceſſa, fruſtranea eſſet ejuſdem Societatis expreſſio, nihilque operaretur, contra textum in *cap. ſi Papa. de privileg. in 6., l. 3. ff. de jurejurand. l. non dubium* C. *de leg. Gloſſ. in cap. ſolitæ v. tamquã de major. et obedien.* Dicentem, quamlibet etiam ſillabam debere ſuum effectum ſortiri. III. quia, ut ſuperius eſt demonſtratum, privilegium ſuſcipiendi Sacros Ordines extra tempora, quum ſit præter, non contra jus comune conceſſum, & nemini noceat, venire debet in communicatione privilegiorum Soc. Jeſu, quia prædicta communicatio reſpectù talis privilegii eſt mera gratia, merumque Principis beneficium ampliſſimè interpretandum

dum

dum per *tex: in cap. Olim de V.S. cap. cum dilecti. de donation.l.3.l. beneficium ff. de constit. princip.*

Fælicis etiã recordat. Urbanus VIII. 5. *Kal. April.* 1634. *apud Leandrum tom. 2. tract. 6. disp.* 11. *Quæst.* 34. Patribus Discalceatis SS. Trinitatis omnia Societ. Jesù privilegia nominatim concessit sub his effrenatissimis clausulis: *Quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solum per participationẽ; communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar, sed speciatim, nominatim, pariformiter, & æquè principaliter in omnibus, & per omnia, absque ulla prorsus differentia, perindè, ac si primò illa prædictæ Cõgregationi expressè, et nominatim per viam, et modum simplicis, & individuę, ac particularis, et specialis concessionis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine concessa fuissent.* Quæ omnes clausulæ, ut vides, tricas illas resecant, & disrumpunt, quibus nituntur probare, dictum privilegium Societ. Jesu nullis aliis Ordinibus esse comunicatum, nimirum, quia in hujusmodi privilegiorum comunicatione non veniunt eã, quæ sunt speciali nota digna, & difficilis concessionis; Nam expressè illa etiam Societ. Illustrissimæ privilegia, quæ sunt speciali nota digna, quæque sunt difficilis concessionis, atque in generali

rali concessione non veniunt, concedit.

Prò Cistercienfibus verò adest prælaudati Summi Pontif. Gregorii XIIII. amplissima Constitutio emanata die 28.*Junij* 1591. quæ in duplex caput secatur. Horum primo Pontifex d. Ordinis privilegia etiam via communicationis concessa innovat, & confirmat adiecta clausula; modo Concilii Tridentini decretis non adversentur; ut ab innovatione illud excludat privilegium, quo principales quatuor Abbates fruebantur, conferendi Sacros Ordines Subdiac. & Diacon. sibi subiectis Monachis, & alia etiam indulta per Trident. revocata. In secundo autem d. Constit. capite, ea clausula prętermissa, privilegia omnibus aliis Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Collegiis, & Regularibus personis, tam in Urbe, quam in quibuscumque Mundi partibus existentibus, quomodolibet concessa communicat. Hac autem concessione Summum Pontificem voluisse Cistercienfibus communicata, non illa solum, quæ generaliter veniunt, sed propria etiam aliarum Religionum indulta constat; tum quia secundum hujus Constitutionis caput incipit. *Et insuper;* quæ dictio significat diversitatem à præcedentibus *cap. insuper de testibus Vulpell. de præp. et adverb. sub dict. in infinitum*; Geminian. *cons.* 44. *nu.* 2. & venit continuative addendo ad superiora *cap. statutum* §. *insuper de rescrip. in 6.*, *cap. ubi periculu-*

C

riculum. §. *insuper de elect. in 6.*, *Rot. in Romana palatii* 18. *Februar.* 1619. *cor. Card. Sacrato*; Tum etiam quia Summ. Pontif. id aperit dicendo: *Et insuper eosdem amplioribus favoribus condecorare volentes &c.* Tum demum quia, postquam habuit Pontifex sermonem de privilegiis omnibus aliis Ordinibus cōcessis, ita subdit: *Quorum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem, illaque omnia, et singula ad dic. Congregationem S. Bernardi perpetuo extendimus, atque communicamus æquè pariformiter, & absque ulla penitus differentia, ac si prò, & in favorem eorundem à S. Sede Apostolica à principio emanassent, & fuissent immediatè concessa.*

Quod si eorum, quæ *pag.* 29. Dissertationis legisti, memor his occurrere velis dicendo, effectum communicationis, quantumvis generalibus, & effrænatis clausulis conceptæ, ac signanter cum illa, *ac si de verbo ad verbum insererentur*, non se protendere ad ea, quæ sunt specialitate digna, quale censendum est privilegium à Gregor. XIII. Societ. Jesu concessum; his quidem argumentum non diluis; nam, etsi concedere vellemus, d. clausulam *de verbo ad verbum* non operari, ut etiam quæ specialitate digna sunt comprehendantur, id

tamen

tamen in præſenti non habet locum, quia illa clauſula juvatur, ac ſuſtinetur per aliam, nempe, etiamſi talia ſint, vel forent, quæ ſpecialem, & individuam requirerent mentionem. Ubi enim Pontifex concedit privilegiũ, cujus tenorem licet non exprimat, vult tamen haberi pro expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto, etiam ſi tale ſit, quod ſpecialem requirat mentionem, nullus jam ſupereſt ambigendi locus, voluiſſe privilegium quoque illud communicatione concedere, quod eſt nota ſpeciali dignum; quia, ubi verba ſunt clara, ceſſant conjecturæ *l. continuo ff. de verb. obligat.*, & ulterius non eſt diſputandum, *l. Gallus §. ſi ejus, & ibi Bald. in 2. notab. ff. de liber. & poſthum. Rot. par. 1. Recent. deciſ. 537. n. 9.*

Præterea, d. clauſulam, *ac ſi de verbo ad verbum inſererentur* non comprehendere quæ ſunt ſpeciali nota digna, neque verũ arbitror, neque mihi probãt illa, quæ doctiſſimus oppugnator adducit; *Rot.* enim in obiecta *deciſ.* 8. *par.* 8. *rec*: docet ſolummodo communicationem privilegiorum illa non comprehendere, quæ de facili concedi non ſolent, ſed præfatæ clauſulæ non meminit. *Butr.* vero *cit. conſ.* 19. *nu.* 9. *Natt. conſ.* 4. *nu.* 6. *Rot. dec.* 55. *nu.* 14. & 15. *part.* 2. *diverſ.* inſolita, & difficilis conceſſionis aſſerunt non venire, quamquam communicentur privilegia cum clauſula *in omnibus, et per omnia*, de qua idem non eſt judi-

cium,

cium, ac de clausula *quorum tenores, ac si de verbo ad verbum, &c.* Quia illa, salva proprietate verborum, intelligi potest cum eorum exceptione, quæ sunt specialitate digna, & concessionis difficilis, ut d. probant Auctores; Verum hoc dici non potest de altera clausula *ac si de verbo ad verbum*; quia si privilegia, quæ communicantur, revera de verbo ad verbum transcriberentur, illa etiam quæ specialitate digna sunt, & concessionis difficilis exprimerentur, aliàs non essent de verbo ad verbum inserta; Prædicta autem clausula *quorum tenores ac si de verbo ad verbum, &c.* operatur perinde, at si revera omnia fuissent expressa de verbo ad verbũ, *Butr. cons. 2. in princip. Mohed. dec. 1. de rescrip.*, Gabriel. *post alios de clausul. concl. 5. num. 1.*, & firmavit *Rot. in Albanen. benef. cor. Pirovano dec. 607. nu. 2. & decis. 407. num. 7. par. 3. recent.*

Sed his, inquies non fregisti adhuc tenacissimum clavum, quo Dissertationis Auctor suum hac in re assertum firmavit. Istud enim privilegium à Greg. XIII. Societ. Jesu concessum est cum hac clausula: *Præsentis autem gratię communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum Societate copiosè participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurũ fieri omnino prohibemus.*

Ergo hæc tu negotium putas facessere, istamque clausulam existimas illum esse scopulum, cujus offensionem nostra non possit

opinio declinare? Veruntamen *Roderic.tom.1. d. quæst. 55. art. 7. §. at circa. Hieron. Roderic. resol. 116. nu. 50.*, *Jo. de la Crux. lib. 2. cap. 4. §. secundo sequitur, & §. en his patet. Celestin. in compend. trac.8.cap.15.*, *Dian. par. 3. trac. 2. resol. 78. & 81. & par. 5. tract. 13. resol. 46. HinnoJos. verb. confir. privil. §.dubium hoc loco*, *Mirand. tom. 2. quæst. 46. art. 5. Leand. tom. 3. de decimis trac.6. Disp. 6. quæst. 34. & 36. & ubi supr. Raph. de la Torre 2.2. Quest. 87. disp. 1.*, *Peregrin. apud Dian. d. resol. 78. Escobar. lib. 6. Theolog. moral. cap. 7. n. 85.*, *Philibert. trac. 1. par. 7. num. 1. Layman. trac. 18. cap. 8. nu. 2. Ludov. à S. Joan. quæst. 3. de Ordin. art. 2. dub. 2.*, *Machad. tom. 2. lib. 5. part. 2. trac. 6. docum. 9.*, *Barbos. de Offic. & potest. Episc. allegat. 17. nu. 6. par. 2. Avers. de Ordin. quæst. 3. sect. 9.*, *Præposit. 3. part. quest. unic. de Sacram. Ord. dub. 15. n. 150.*, *Fagund. de quinq. præcept. cap. 2. nu. 12.*, *Martinez de Prad. loc. sup. cit.*, *Donat. tom. 1. prax. regul. tract. 7. quæst. 8.* novissimè *Anaclet. tit. 11. de temporib. ordinat. §.2. nu.51.*, aliosque doctissimos audio viros affirmare illud Societatis privilegium esse ad cæteros Regulares via communicationis extensum, dicta clausula non obstante; quia Pontifex non potest successorem impedire, ne quod ipse uni concessit, aliis quoque successor concedat, atque largiatur; par enim in parem non habet imperium.

perium. *cap. innotuit. de Elect.*

Ego vero ulterius animadverto, Gregor. XIIII. in d. Bulla pro Cisterciensibus derogasse clausulis communicationi obstantibus, his expressis verbis *Quibus omnibus ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, & non per clausulas generales pro sufficienter expressis, & insertis habentes specialiter, & expressè derogamus*. Per hæc autem verba censeri omnes sublatas clausulas resistentes, & derogatorias etiam derogatoriarum docent, *Federic. de Sen. cons. 47. nu. 1. Alexand. cons. 7. nu. 7. lib. 4. Jason. cons. 184. col. 3. lib. 2. Paulus de castr. cons. 206. nu. 2. lib. 1. Jo. de Anna cons. 56. nu. 3.*, & præsertim accedente clausula *pro expressis*, *Ant. de Butr. cons. 2. Mohed. decis. 1. de rescrip.* & ita adiudicavit *Rot. in Interamnen. bonor. 5. Maii 1603. dec. 87. num. 4. par. 2. recent.*

Quod si satis hæc esse non putes ad tam arduam elidendam difficultatem, rogo velis legendo excurrere laudatam sæpiùs Gregorii XIIII. Constitutionem favore Cisterciensium editam, & invenies hæc in ea verba: *Non obstantibus quibusvis etiam annullativis, cassativis, infectivis, declarativis, exceptivis, modificativis, mentis attestativis, & etiam communicationis probibitivis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis &c.* Audisti Summ. Pontificem clarissimis verbis dicentem, se

com-

communicare Ciſtercienſibus privilegia conceſſa etiam cum clauſuia communicationis prohibitiva ? Quis ergo niſi penitus refractarius dicet verba illa : *præſentis autem gratiæ communicationem fieri omnino prohibemus* , impedire communicationem ejuſdem gratiæ, quum illis, Pontifex ſucceſſor explicatè derogaverit & rotundè ?

Quum itaque privilegium hoc Societ. Jeſu fuerit extenſum , atque communicatum Ciſtercienſibus, et quidem ſine illa clauſula ulterioris extenſionis ad alios Ordines prohibitiva, eo potiri , ac frui cæteros omnes Regulares , qui mutua gaudent privilegiorum communicatione , aſſerunt fermè omnes Doctores paullò ante relati, quin eorum ſententiæ obſtet repetita pluries obiectio nempè , generalem communicationem non comprehendere quæ ſunt ſpeciali nota digna, qualia eſſe, non eſt dubium, illa , quibus Tridentinum , vel aliqua Conſtitutio Apoſtolica reſiſtit; Id enim ultrò concedimus, ſed conſtanter negandum dicimus facultatem , de qua loquimur , Sacri Concilii Trident., aut alicujus Apoſtolicæ Cõſtitutionis habere reſiſtentiam , ut ſupra dictum eſt, & probatum . Idcircò privilegium hoc , quum non ſit ob hoc ſpeciali nota dignũ rectè dicitur communicatione privilegiorum venire ; præſertim , quum non ſit contra jus commune , ac noceat nemini, ut ſupra argumentabamur.

Neque obſtat pariter, in conceſſione facta P.P. Soietatis Jesu meminiſſe Gregoriũ XIII. voti, quod dicti P.P. emittunt eundi ad nutum S. Sedis ad Sacras Miſſiones: quia in Bullis communicationis privilegiorum fit mẽtio, ſi non hujus, alterius motivi, quod ſufficit, ut privilegia communicata intelligantur. Quis enim dicet, gratiam uni ob unam rationem indultam, non poſſe Principem alteri ob aliam rationem largiri? Immò, quum hujuſmodi communicationes plerumque Summus Pontifex concedat de plenitudine poteſtatis, non eſt inquirenda ratio, *Bald. in l. 2. C. de Serv. & acq., & in l. impetratum C. quæ ſent. reſcind. non poſſint & in cap. ſi quis autem, de par. conſt., Mart. de Clauſul. claul. 259. nu. 1. Barboſ. ad d. clauſ.*

Poſſem hac de re, quemadmodum, & in exploſionem eorum, quibus vim Apoſtolicæ privilegiorum confirmationis enervare ſtudet multa ſubnectere; ſed quoniam huc ſpectantia ex dictis concuſſa jacent, mittendaque tibi pagina ſatis crevit, ad quaſdam poſtremo loco poſitas ratiocinationes, quæ velut ſtirpes arboris jam exciſæ ſuperſunt, converto falcẽ, uno illas quaſi faſce collectas obtruncaturus. Si Regularibus, inquit, univerſim competeret privilegium, de quo loquimur, inutilis fuiſſet ejuſdem indulti conceſſio facta Patribus Societatis Jeſu, & præſertim cum prohibitio-

ne,

ne, ne aliis Ordinibus communicaretur: ut & Minoribus de Obſervantia reſtrictè ad eos tantum, qui commorantur in partibus Indiarum Occidentalium per S. M. Urbani VIII. die 30. Junij 1625. Conſtit. ſua: *Cum ſicut dilectus*: Quemadmodum & ſupervacue SS. Innoc. XII. expedito Brevi ſuper moderatione indultorum ſuſcipiendi Ordines extra tempora die 14. Decembris 1693. in eo caviſſet, Regularibus ob penuriam Sacerdotum hujuſcemodi eſſe Brevia concedenda: Neque demum Regulares ipſi d. privilegio muniti, eorundẽ Brevium in diem rogarent expeditionem.

His itaque brevi manu reſpondetur, Regulares ad Sacros Eccleſiarum Antiſtites pro ſuſcipiendis Ordinibus extra tempora miſſis, identidem, ac plerumque repelli, unde non inutiliter aliqui ſpeciale, hac de re privilegium, cui nulla poſſet obſiſtere contradictio, curaverunt à S. Sede obtinere. Accedit, quod Pontificium privilegium, etſi non ſit neceſſarium, eſt tamen ſemper utile, vel pro ſedandis conſcientiis, vel pro ſcrupulis extirpandis, ut docent *Paſqualig. de Jejun. quęſt.* 415. *nu.* 4. *Neuſſer. de hor. Canonic. Diſp.* 11. *quæſt.* 3. *Suarez lib.* 2. *de Juram. cap.* 15. *nu.* 8. Præterea, virentis privilegij confirmatio facta in forma communi, quamquam nihil tribuat novi juris *Cap.* 1., & 2. *de confirmat. util. vel inut. l. ſi ſtipulatus* §. *verum ff. de uſuris*. ſupervaca-

nea

nea tamen non est *Bald. conf.* 23. *ver. solutio*, *Gonzal. in cap. cum dilecta . de confirmat. util. vel inut.*, *Pirhing. eod. tit.* §. 1. *nu.* 3. *Zoesius ibid. nu.* 2. & DD. ergo multo minus nova, & specifica existentis gratiæ concessio judicanda est inutilis, & superflua. Neque prædicti privilegij limitatio ad solam Jesu Societatem, & ad Minores in Occidentalium Indiarum plaga tantum degentes, probat cæteros Regulares eodem privilegio aliàs non potiri, sed solum Gregor. XIII. & Urbanum VIII. sua speciali, novaque concessione alios universim noluisse comprehensos.

Ex eo demum, quod S. M. Pontifex Innoc. XII. indixerit expedienda esse Brevia memorata pro Regularibus ea petentibus, non est consequens, aut eorum vetus privilegium cōcidisse, aut speciatim aliis indulto communicationis jure non frui; Decreto enim suo Pontifex non disposuit, Regulares extra tempora non esse ad Ordines, nisi Brevia hæc acceperint, promovendos, sed solum jubet petentibus impertienda. Rectè quidem, ac providenter; nam Episcoporum nonnulli, quum prædictis conferre Ordines vi privilegiorum, ob scrupulos forte recusent, ne Sacerdotum inopia Monasteria laborarent, commune cæteris remedium noluit Pontifex Regularibus denegandum. Quo ex fonte pariter manat ratio propter quam multi Regularium, ij nimirum,

rum, quibus sua non permittitur privilegia suffragari, ad hæc Brevia convolant, quin illorum iste recursus argumento esse debeat, privilegia perdidisse; Quod enim fit, vel ad vitandas difficultates, vel ad resecandos scrupulos, vel ad bene esse, non arguit defectum facultatis, neque præjudicat, ut resolvit *Rota in Marsicen. Jurisd.* 1. *Junij* 1700. *coram Muto post Monacell. in oper. posth. dec.* 4. *num.* 53. Immo privilegium, quamquam in aliorum gravamen cedens, per non usum, sive usum contrariũ non amitti, si potestas illo utendi nõ desit, affirmant communiter *DD. teste Gonzal. in cap. si de terra. n.* 5. *in fin. de privil.* et colligunt, *ex l. voluntariæ*. C. *de excusat. tut. l.* 2. & 3. C. *de his quæ spontè*, *Pirhing. de privil. sec.* 6. §. 3. *nu.* 179., *Cassuing. de privil. Regul. cap.* 5. *prop.* 1., *Zoesius eod. tit. nu.* 35. & 36.; quod urgentius procedit de privilegio, quod in nullius recidit incommodum, & gravamen, hoc enim longissimi etiam temporis non usu, infirmari nequit, *Glossa in cap.* 24. *v. Semel. in anno de privil. Suarez lib.* 8. *cap.* 34. *nu.* 17., *Layman. lib.* 1. *Tract.* 4. *cap.* 23. *nu.* 22. *Pirhing. loc. cit. num.* 176. & 183. *Castropal. Tract.* 3. *Disp.* 4. *punc.* 18.

His, quibus factum puto satis rationibus ad me missæ Dissertationis; effusam plus justo epistolam claudo; illud tantummodo ego etiam adijciens prò coronide, quod si hac de

re

re jamdiù concessa privilegia Conciliorum adversa manu percussa corruissent, si eadem uni Ordini restituta, via communicationis ad cæteros non refluerent, ac redundarent, si demum Sacræ Congreg. præcepto extra tempora definita Ordines Regularibus cōferre Episcopi prohiberentur, quis quæso esset illorum, qui, quod ea privilegia indulgent, exequi vellet, ac non potius ab ea re penitus abhorreret? Et tamen id passim facere, non modo sapientissimos, verum etiam sanctissimos, ac eximiæ vitæ tam multos Præsules scio, ut cumulatum certè si velim possem numerum percensere. Nosti religionis illud, & sanctitatis, virtutumque omnium exemplar Eminentissimum Cardin. Sanvitalium Archiepiscopum Urbinatem. Hic Florentiæ, dum Apostolici Nuncij munere fungeretur, plurimos Regularium extra tempora vi privilegiorum prædictorum Sacris Ordinibus initiavit. Quanta etiam doctrinæ præstantia, vitæque integerrimæ, ac morum sanctimonia refulgeat Eminentiss. Cardin. Ursinus Archiepiscopus Beneventanus nemo est, qui in tam alta rerum omnium ignoratione versetur, ut nesciat; & tamen non unum, aut alterum, sed quot quot ad eum, justa cum causa, convolant Regulares, illorum privilegiis nixus promovere ad Sacros Ordines extra tempora non veretur.

An tu vero argumentum hoc pro asserto, pro-

propugnatoque hucusque à me privilegio confirmando plurimum sis arbitraturus facere, nescio; mihi certè illi virium, illi auctoritatis tantum esse videtur, ut putem ipsius nodũ abrumpere posse neminem, nisi qui hominum sapientissimos, atque sanctissimos, aut ignorantes, aut impios velit. Cætera si quæ sunt (erunt fortasse nonnulla) quæ tibi parum arrideant, indica literis tuis; Neque enim mediocriter me ad nova opuscula tu Lector hortaris. Vale.

***

FINIS.



DOctissimi Authoris *Judicium de Joannis Jacobi Scarfantonij Dissertatione*, jubente Reverendiss. D.D. Octavio Archidiacono Sardi Illustriss., ac Reverendiss. D.D. Genesij Calchi Vicario Generali, non exigua animi voluptate perlegi, in eo siquidem nihil solidioris Doctrinæ in probando quod assumit, nihil nervosæ claritatis in solvenda Adversarij argumenta desideravi. Optimū proinde puto, ut Typis publicetur, si ita ijs ad quos pertinet videbitur.

Constantinus Roncaglia.
Cong. Matris Dei.

IMPRIMATUR

Octav. Archidiac. Sardi Vic. Gen.

Horatius Donati de Mandato Excellentiss. DD.

MC

